

lulavit, funditus vel radicitus extirpare, contra eius sequaces, qui eversa
 sede fidei, ut superius dictum est³⁹, rabido ore latrando contra mellifluum
 fol. 77^v nomen ex apocriforum somniis vel deliramentis trahunt exempla, ut sub |
 140 vertant fidelium corda, debet obicere, munitus armis de armario bibliothecę
 sumptis, plurima semper vulnerando^r vibrante asta manu verissima in-
 victissimaeque iacula. Idcirco sumamus primum perpetuę fidei acutissimum
 rectissimumque telum, quo confessus est auctor eorum detestandus Sy-
 mon, quod invenimus in actibus apostolorum⁴⁰. Refertur enim ibi, quod
 145 ille inventor tantę perfidię, auctor horum hereticorum, accepta pecunia ob-
 tulit clavigero^s apostolorum^s inquires: *Da michi hanc potestatem, ut ubicum-
 que^t imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Quid ad hęc apostolus?
 Numquid patienter valuit audire hanc a faucibus Behemoth⁴¹ prolatam
 toxicatam vocem? Numquid non *ambę*^{u42} *eius tinnierunt*? Numquid susti-
 150 nuit hoc abominabile maledictum deleri falsa pęnitentia? Non! Quare?
 Quia non erat dignus pęnitentia, qui ausus fuit primus inchoare talia faci-
 nora. Et non recte pęnituit, quia a peccatis non recessit, sed insuper contra
 rectę fidei asertorem se erexit. Adhuc certe, adhuc Magus balbutiendo tre-
 fol. 78^r pidantibus labiis verba promebat, et ei iam apostolus obiecerat | fulmina:
 155 *Pecunia*⁴³, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pe-
 cunia possideri.* Igitur si iste pro sola voluntate periit qui pecuniam pro Pa-
 racliti traditione obtulit, sed qui recepisset non fuit, quid fatebimur de il-
 lis, qui ad hoc munera offerunt et recipiunt? Papa^v Romanus^{v44}, immo
 omnis^{w45} scriptura testatur: et^x promovendo heretici fiant et ascendendo

r) So F₁ statt vulneranda? s-s) Aus clavigeropolorum verbessert F₁.

t) cuicumque *Vulgata.* u) aures *folgt Vulgata.* v) Beatus Gregorius
 papa M₃ als *Rubrik.* w) sacra *folgt M₃.* x-x) ut omnes simoniaci pro ali-
 qua pecunia in quolibet gradu ecclesiastico vel pro ecclesiasticis rebus acquirendis
 promovendo quid aliud nisi heretici fiunt, et ut ascendendo decendant et crescendo
 decrecant M₃.

³⁹) Siehe oben Zeile 68 ff.

⁴⁰) Act. 8, 18–22.

⁴¹) Vgl. Iob 40, 10.

⁴²) 1. Reg. 3, 11.

⁴³) Act. 8, 20.

⁴⁴) Vgl. Gregor I. Reg. IX 218 (JE 1747), MGH Epp. 2, S. 206, 14–16: *Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat et ascendendo exterius interius in profunda descendat?*

⁴⁵) *Omnis – dedit* (Zeile 188) und *Quare* (Zeile 188) – *putasti* (Zeile 194) in M₃ fol. 21^{r/v} c. 93 und 94, siehe oben S. 578 Anm. 5 Nr. 3.